

In genere itaque nemo affirmare potest , quod simile quodlibet simile sibi generet : Illud namque, extra vegetabilia, & perceptibilia, sensibiliaque , ad ipsa mineralia quantum attinet, male loquutum est : Illa enim alimentationem vitamque accipiunt , & seipsa seminant atque plantant : hæc vero nihil percipiunt, & in primo, æque ac in ultimo, anno, eiusdem sunt magnitudinis . Ex, & de, elementis per te essentiam suam in terra sortiuntur , id quod sine satione , plantatione, alioque cultu peragitur . Ex doctrina tua porro cognitum compertumque habeo , quod veterum Philosophorum dictis , per fallacem praxin, minime obtemperandum , sed dumtaxat vera & essentialis Theorica, in qua essentialis est natura, obseruanda siet : In illa siquidem omnis essentia, materia, & substantia consistunt. Nunc autem in memoriam mihi reuoco, quod aliquando deceptor seductorque sophisticus, qui tamen pro magno Philosopho habebatur, mihi persuadere conabatur, inquiens : pro recta materia aliud nihil sumendum esse , quam purum crudumque argentum viuum, attamen ut auro bene antea mixtum siet : ex duabus enim bene conjugatis fieri aliquod eximum , atque in illa coniunctione unum alterum perfectum reddere: Sin, pergebat impostor ille, hoc facerem, tunc me Elixir consequiturum esse: cum primis vero quatuor mixta elementa à se inuicem separanda , quodlibet purificandum, dein iterum conjuganda, magnum cum paruo vniendum, subtile in crassum inferendum esse: & hoc modo fieri lapidem Philosophicum. Verum non sum nescius deliramenta istiusmodi meras esse imposturas , & quod tales homines intellectu destituti sient, atque adeo non

36.